

1323 abril 17. Barcelona

Jaume II als jurats i universitat de la ciutat de Girona. Els mana que l'elecció dels jurats es faci com és costum, segons consta en el privilegi atorgat el 25 de gener de 1284 pel seu pare el rei Pere II.

- A. Original: AHCG, Lletres Reials. 245 × 200 mm. Estat de conservació regular a causa de la mutilació del paper de la part superior. Restituïm el text afectat segons la còpia del *Llibre Verd*. **Segell comú:** 85 mm aprox. **Lletra oberta. 1:** Registrata. **2:** a) *Quod iurati eligantur, ut est consuetum, scilicet, duo de maiori manu et duo de media et duo de minori et quod licet una in eo sint electi pro una manu quod alia viceversa eligi pro alia.* b) *És continuada en lo libre vert en cartes CC XL VIII.*
- B. Còpia del segle XIV: AHCG, *Llibre Verd*, f. 277r-278v.
- a. C. GUILLERÉ, *Llibre Verd...*, doc. 69, ex B.

Iacobus, Dei gratia rex Aragonum, Valencie, Sardinie et Corsice comesque Bar[chinone] ac Sancte Romane Ecclesie vexillarius, ammi-ratus et capitaneus generalis, ffidelibus suis iuratis et universitati civitatis Gerunde, salutem et gratiam.

Nuper vobis, ad instanciam Berengarii Renaldi, iurisperiti dicte civitatis, per nostram litteram^a scripsimus sub hac forma: «Iacobus, *et cetera*, ffidelibus suis iuratis et universitati civitatis Gerunde, salutem *et cetera*. Ex parte Berengarii Renaldi, iurisperiti Gerunde, extitit propositum coram nobis quod illustrissimus dominus Petrus, bone memorie rex Aragonum, genitor noster, ad humilem supplicacionem universitatis Gerunde super habendis iuratis in dicta civitate concessit privilegium^b inter alia continens clausulam^c subsequentem: “aliud capi-tulum concedimus isto modo quod sex probi homines civitatis pre-dicte eligantur quolibet anno pro gubernanda ipsa civitate, de quibus sint duo manus maioris et alii duo mediocris et alii duo minoris et omnes teneantur prestare sacramentum in posse vestri baiuli de ha-bendo se bene et legaliter circa gubernacionem et ordinacionem civi-tatis”, prout in dicto privilegio, quod datum asseritur Gerunde, VIII^o kalendas ffebruarii, anno Domini M^o CC^o LXXX^o tercio, dicitur contineri. Et quod aliqui dicte universitatis, transgredientes formam privilegii supradicti, eliguntur quandoque pro iuratis dicte civitatis, ita quod eodem persone que pro iuratis seu consiliariis pro manu media alias extiterint pro manu minori et e contra etiam eliguntur, [ideo]que ad dicti Berengarii Renaldi supplicacionem vobis dicimus et mandamus quatenus, si dicti privilegii tenor talis est, ut superius est expressum, nec talis usus precesserit, qui [de] iure et ratione obsistat dictum privilegium, observetis iuxta sui continenciam et tenorem, nec permi-tatis easdem personas quoad divitias et honores in eodem statu existentes, ex quo aliarum personarum dictarum conditionum copia habeatur pro diversis manibus assumi ad officium iuratorum civitatis predictae. Mandantes etiam per presentes baiulo nostro Gerunde quod dictum privilegium observari faciat iuxta sui continenciam et tenorem, et quod in registro curie Gerunde, ubi nomina et iuramenta eorum qui in iuratos assumuntur scribi, ut dicitur, consueverunt, describi faciat pro qua manu existentes electi fuerint in iuratos, ut de observacione dicti privilegii valeant apparere. Datum Barchinone, III^o nonas marcii, anno Domini M^o CCC^o XX^o secundo». Verum cum novitates huiusmodi discordiam pariant et inducant et ex premissis, ut intelleximus, possent inter vos alique discordie de facili suboriri, vobis propterea dicimus et mandamus expresse quatenus, non obstante littera supradicta, utamini contentis superius, prout hactenus usi estis, nec super eis pretextu dicti mandati nostri novitatem aliquam faciatis aut fieri permittatis.

Data Barchinone, quintodecimo kalendas madii, anno Domini M^o CCC^o [X]X^o tercio. Subscripsit Guillelmus.*

- a. [A]. Original perdut. b. A. Original: AHCG, Pergamins, núm. 52. B. Còpia del segle XIV: AHCG, *Llibre Verd*, f. 8r-9v. c. Vegeu C. GUILLERÉ, *Llibre Verd*, doc. 8, cap. XX.
1. Restablím entre claudàtors la xifra que manca segons B.